DE SENSIBILITATE CUPIDITATIBUS ET PATHEMATIBUS DISSERTATIO…

Marco Morando De Rizzoni



DE

SENSIBILITATE

CUPIDITATIBUS ET PATHEMATIBUS

DISSERTATIO

ACADEMICA

QUAM IN CELEBERRIMA AC PERVETUSTA

UNIVERSITATE PATAVINA

AD SUMMOS HONORES OBTINENDOS

IN MEDICINA

PUBLICE DEFENDIT

MARCUS MORANDO DE' RIZZONI

VERONENSIS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXI.



De Sensibilitate, et Cupiditatibus.

Physicae, et intellectuales facultates quibus homo praeditus est, non tam eum a ceteris animantibus distinguunt, quam studii materiem philosopho admodum necessariam simul, et utilissimam praebent. Est studium istud quod omne inter homines, et bruta discrimen decernit, quod nostram expromit excellentiam, quod nostram nobis detegit infirmitatem, quodque, dicam cum Horatio,

Æque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
Æque neglectum pueris, senibusque nocebit.

Verum cum homo duplici constet natura, corpore videlicet, et anima, atque proinde duplici facultatum ordine praeditus sit, materialium scilicet et spiritualium, hae vero quamvis inter se discrepent, nihilominus simul colligatae, hominis scientiam implicatam maxime, omniumque difficillimam efficiunt, praesertim si quis de nobilioribus facultatibus disputare, earumque origi-

nem investigare cupiat, effectusque cognoscere. Quapropter mirum Vobis, Praeceptores sapientissimi, videri potest, me a scholis non adhuc dimissum de hac re sermonem in praesens coram Vobis habere, et in cursum me committere tam arduum atque praeruptum. Cum vero clar: Stoll in sua *Ratione medendi* (Part. VI. p. 75.) scripserit: *desideramus historiam morborum ab animi curis provenientium*, et argumentum ejus ponderis mihi visum sit, quod mihi ipsi summopere utile foret, si pro academica disputatione seligerem, in illud totis viribus incubui, ut si non perfectum opus (quod neque abs me, neque in tanta discendarum rerum varietate posset quispiam expectare) Vobis offerrem, illud tamen esset, quod bonam Vobis ipsis, Viri Clarissimi, voluntatem significaret.

De Sensibilitate, quatenus est origo Cupiditatum.

Sensibilitas ab antiquissimis philosophis in animantibus perpensa, ut corporis cum anima conjunctio intelligeretur, diversis quidem nominibus nuncupata fuit. Ex quo nunc *Ormè* dicitur, nunc *Impetus* veteris Academiae, *Impetum faciens* Hippocratis; *Anima sentiens*, *vis abdita* aliorum, motus tonicus, motus fibrillaris, spasmus, quae in Wetferi, Baglivii, Sthal, aliorumque solidistarum operibus inveniuntur. Ex effectibus tandem primariis, quos ipsa ostendit, eadem proprietas *sensibilitatis* quasi generali nomine fuit insignita.

Haec communis est facultas corporibus animalibus omnibus viventibus, a quibus ne polypos quidem excipias: qui sane ipsius facultatis vim sane ostendunt. Sed nec plantae carent eadem facultate, quae, praeter quam quod in mimosis nonnullis, in hedysaro et in Dionaea manifestissima est, at phaenomena plurima observantur in plantis, quae earum sensibilitatem dubio procul testantur. Et sicut in ceteris facultatibus generalibus progressus quidam observatur, qui a simpliciori statu ad complicatiorem perfectumve ducit, sensibilitatem pariter simplicissimis phaenomenis in plantis, et in intima animantium classe conspicimus, dum in superioribus classibus major ac in homine auctiores, mirabilesque producit effectus, ita ut cum in iis sensibilitas, ut ita dicam, ibi finiatur, ubi stimulus applicatus fuit sive internus, sive externus, in homine et perfectioribus animantibus effectus a quibusdam partibus ad alias protendit, et in actione major organorum numerus concurrit, atque phaenomena longe ampliora, nec non frequentiora nascantur. Qua ex re juxta recentiores physiologos oritur distinctio, qui velut ejusdem sensibilitatis modificationes habuere. I.° illam quam perceptio minime consequitur, et quae organica nuncupatur. II.° Illam quam animalis percipit, adeoque perceptiva dicitur. Distinctio ejusmodi nobis necessaria summopere est.

Quomodo autem unica haec proprietas enunciatas modificationes subeat difficile dictu est, nisi

dispositioni, et formae organorum id tribuere malumus, quae facultati illi sedem praebent. Organa istiusmodi nervi sunt, qui peculiare systema constituunt, nervosum idcirco appellatum. In animalibus imperfectis moleculae nerveae huc illuc diffusae in oculos incurrunt; in aliis moleculae ipsae in filamenta seu nervos compinguntur; alia sunt, quae praeter nervos ganglia nobis exhibent; in aliis tandem usque perfectioribus nervi adsunt cum gangliis et cerebro. Quoad sensibilitatem vero, ejus sedem nobis offerunt tria centra tam in homine, quam in perfectioribus animantibus, idest *magnus plexus*, sive centrum epigastricum, *medulla spinalis*, et *cerebrum*, quod non modo ceterorum est maximum, verum est illud, ad quod alia duo centra secundaria pertinent, et ab ipso pendent.

In maximo igitur centro impressiones a nervis et centris perceptae comparantur cum impressionibus vel primitus agentibus, vel consequentibus; ex qua comparatione oritur perceptio, seu intellectio. Proinde consequitur, ut quo magis nervosum systema evolutum ac diffusum fuerit, puta gangliis exornatum aut cerebro connexum, eo magis intellectio, et perceptio distinctior fiet; dum contrarium prorsus exspectare debemus in animantibus illis, quorum nervea substantia vix, aut ne vix quidem detegi potest.

Quamobrem definitionem sensibilitatis generalis a Metaphysicis exhibitam ad perceptivam tantummodo sensibilitatem referri judicamus, etsi ab i-

psis facultas dicatur, qua quispiam impressiones in proprio corpore discernere queat a stimulis excitatas tum internis, cum externis. Hujus perceptionis causa adhuc mysterium; variae autem perceptae impressiones per nervos ad cerebrum delatae, mutationum causae videntur, quas cum senserit anima, sensus siva sensatio in nobis fit. Ab his modificationibus, quas quidem anima percepit, sive ab hisce sensationibus ideae derivantur, quae hac de causa a solo sensu originem ducunt, cum (uti jam Locb demonstravit) ideae innatae minime esse possint; vis enim animae inoperosa desidet, dum sensuum organa recte non devolvuntur, et dum per exercitationem impressionum non assuefiat.

Externi igitur sensus unicam nostrarum idearum originem constituunt; infans enim materno adhuc alvo circumdatus motus dat tantummodo, cumque vix prodierit, atmospherae novo stimulo, et nutrimenti necessitate torquetur, mammis maternis applicatur os ejus, et deinceps quoties famem persentit, sumpti jam alimenti idea in eo renovatur, adeoque ejulatu, et motibus materni lactis fontes perquirit, non inficias ergo ibimus claris: Cabanis, qui autumavit nostras ideas ex duobus distinctis fontibus, externis scilicet sensibus, internisque organis, provenire.

Omnes animalis corporis partes adeo inter se conjunguntur, ut anima de omnibus mutationibus quae in variis corporis partibus eveniunt, conscia fiat, de iisque majori minorive evidentia, et

perspicacia sentiat. Judicium vero magis vel minus obscurum est pro diversa forma animantium, atque structura, ut antea diximus. Qua ex re, quo magis nervosum systema evolutum est, eo magis sensus in imperfectis animantibus obscurus augetur ea de ratione, ut sensationes plane distinctas, et longe clariores pariat effectus. Hae sensationes, atque effectus internam incitationem evidenter ostendunt ab exterioribus impressionibus derivatam. Sic omnibus patet sensibilitatis phaenomena omnia, quae ad vitam referri possunt, in duas classes esse distinguenda. Prioris phaenomena sunt proprie intellectualia dicta, a quibus maximae rationalis animae facultates procedunt, unde anima ipsa impressiones omnes, vel actu perceptas, aut per memoriam revocatas conjungit, inter effectus et causas relationem constituit, judicia conclusionesque efficit, novasque, ut sic dicam, rationes procreat. In altera classe phaenomenorum sunt sensus, et affectiones, quaeque animae sentientis ideam nobis tribuunt.

Stoici sensitivam hanc animam ignea natura praeditam putarunt, sicut in Democriti, Epicuri, Lucretii, Hippocratis, Galeni operibus videre nobis licet. Inter recentiores Wanhelmontius, et Villis opinati sunt ipsam non esse proprie vitam, verum ejusdem vitae proprietatem, eo modo quo lux, et splendor proprietates sunt flammae. Ipsi hanc animam in nostrarum partium intima substantia inesse, fereque rationalis animi corticem efficere putant. Phaenomena illa etsi distincta vi-

deantur inter se, ita tamen simul colligantur, ut si aetas, sexus, indoles, salus, morbi, clima, consuetudo prioris classis phaenomena labefactant, necesse est ut et alterius classis phaenomena, scilicet physicae sensibilitatis infirmentur, et contra. Etenim admodum verum est: » Corpus quod corrumpitur aggravat animum, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem » (Sap. IX. 15.)

Haec anima igitur regit sensus, atque phaenomena, quae ex ea profluunt, constanter hominem ad omne bonum inquirendum ducunt, et ab iis quae aliena sunt a legibus propriae naturae, avertunt. Effectus autem sensus illius quo anima pollet, vel gaudium est vel dolor, quae duo a variа internorum atque externorum objectorum impressione derivata, contraria omnino ratione animam afficiunt, et ad oppositas actiones compellunt. Cujusque aetatis philosophi earundem affectionum naturam intelligere conati sunt. Cicero doloris definitionem praebet, ut infestum motum sit qui in corpore fit, atque a sensibus longe alienus est. Boerhaawe in nervosarum fibrarum a cerebro profluentium distentione dolorem ponit. Souvagea dolorem incommodam confusamque perceptionem a quavis fibrarum nervosarum laesione provenientem definit. Gaubius dolorem vocat perceptionem, qua animus minus affici mallet. Ita Wolfius in perfectionis sensu gaudium ponit. Maupertuis sensum esse dicit, quo repleri, quam spoliari mallemus, et qui nos, ut majoris faciamus

in statu quem cupimus esse quam non esse, ducit. Quibus in definitionibus saepe cum causa effectus confunditur. Ex quo colligere est quam difficile sit jure optimo harum affectionum naturam explicare, adeoque de phaenomenis potius quae gaudium doloremve comitantur, disserere possumus, quam affectiones ipsas definire. Haud inepte sane veteres gaudium appellabant jucundum animi sensum, natum ex idea boni praesentis quo fruimur, quod grati cujusdam languoris sensationem in nobis excitat, ad cordis sedem praecipue; ita ut hujus visceris motus prae voluptate fere interrumpi videatur. Tristem vero sensationem dicimus dolorem, quam mens percipit aut ab externa laesione illatam, aut a praesenti vel a praeterito aliquo infortunio.

Ex eo quod omnes hae affectiones a nervis derivantur, idcirco in nervis inferioris conditionis origo, et sedes eorum phaenomenorum est, quae praecipue organicam sensibilitatem afficiunt; dum in nervis cerebralibus animalis sistit sensibilitas. Et sicuti gaudia, doloresque morales ex actione cerebralium nervorum orti, in cerebro ipso motus excitant, qui ubi a centro ad peripheriam se diffundunt, sensuum et motus organa illico ad actionem compellunt; ita quoque gaudia, doloresque physici ab interna corporis contractione geniti in cerebrum discurrunt. Hoc quidem modo gaudii, dolorisve cum physici, cum moralis effectus extremi per organicae animalis vitae et quoque intellectualis actiones patent, qui ideo

propriae tantum originis causa inter se differunt, cum etiam effectus misceri queant. Ex quibus consequuntur conatus ad omnem dulcedinem nobismetipsis comparandam, vel ad amaritudinem vitandam.

Revera cum cujusdam delicati cibi nobis idea exsuscitetur, salivales glandulae commoventur, os saliva repletur, et linguae papillae quodammodo erigi videntur: pari modo cum prope sit gratus quidem odor, nares ad illum excipiendum dilatamus; dum contra cum ingratus sit, nares occludimus, et inspirationem aliquantisper retardamus.

Quaelibet nervorum actio ad gaudium comparandum, vel dolores vitandos adlimitatur, ut deceat officiorum ordini, et saluti, et si circumscipti sunt limites ipsi, simplicibus tunc desideriis sive appetentiis tantum afficimur, quorum effectus sunt actiones omnes quibus dolorem vitare, gaudium nobis comparare, et praecipue proprii corporis, et speciei tum physicae, tum moralis, tum intellectualis salutem servare curamus. Contra cum motus violentiores excitantur, et adeo, ut omnis psychica, et animalis vis eodem tendat: tunc animi passionibus sive pathematibus sic vocatis conficimur. Passiones ergo in quodam sensu violento consistunt, per quem homo a passione captus, extra communes limites impellitur, et uno tantum sensu excruciatur. Passiones ideo utpote praeternaturales effectus erunt retinendae, eo quod ipsaemet ex praeternatura-

libus causis derivatae sint. Et re quidem vera quaelibet passio semper, vel ab immensa causae excitantis vi originem ducit, sive ab omnino nova, et insolita impressione, quae majus gaudium, aut dolorem excitat, aut tandem auctam sensibilitatem significat, quae etiam oriri potest a morbo, aliisque causis, cum incitationis vis relativa major fit.

Cum superiori loco appetitus a passionibus disjunxerimus, quidam physiologi, et philosophi passiones quoque a pathematibus decernunt. Passiones inquiunt illi in quadam proclivitate ad aliquas affectiones consistere, dum pathema tantum locum habet, cum affectiones exsuperent ipsius animi vim, et corpus quoque patiatur. Ex quibus non ita facile est intelligere, quomodo nonnulli desideria a cupiditatibus, a passionibus affectus distinguant. Et in Lenhoseki operibus adamussim passiones a pathematibus secerni legimus. Nos generaliter animi affectus, et appetitus tamquam primum moderatae impressionis effectum consideramus; passiones vero, aut pathemata veluti secundarios effectus, et fere reactionem contra excitantem causam.

Si de sede harumce affectionum sermo sit, et de earum natura, obscura profecto quaestio est. Dicit Galenus « animi passiones esse veluti dolores quosdam solius animi ». Alii putant cum passiones ad animam proprie pertineant, earum sedem in solo cerebro extare. Alii tum veteres, cum recentiores varias sedes passionibus variis

donarunt, irae puta in capite, virtuti animi in corde, metui in ganglio semilunari etc. Juxta Bichat in vita tantum organica passiones resident, et earum effectus semper a vita animali absunt. Falsum autem esse arbitror, sensum et cerebrum nil in quibusdam animi perturbationibus pati, ut Parisiensis anatomicus existimat; quin immo et sensum, et cerebrum summa agere vi in iis circumstantiis videtur. Et re quidem vera si affectus communium passionum perpendamus, ex quibus quam plurimae aliae derivantur, amoris scilicet, et odii, necesse foret, ut sola sensibilitas organica in iis afficeretur, seu ob simplicem suavium rerum ideam, vel ob taedium gravium sensationum. Sed homo, et animantia perceptae impressionis renovandae facultate praedita sunt, et absentium rerum imagines revocant, quae ea gaudio, vel dolore jam affecerunt. Et quod reapse cerebrum et sensum in animi facultatibus, et perturbationibus, agat perbelle Zimmermannus declarat. Indolentes homines, ait ille, sive omnino dementes fere nihil earum commotionum sunt capaces. Illi contra qui vivida sensibilitate, celeri imaginandi vi, et ponderandi praediti, summopere commotionibus animi obnoxii sunt, ex quo consequitur, ut summa ingenia in maximas passiones irruant. Tandem ipsum cerebrum quoque in passionibus physice pati, *paralysis*, *tethanus*, *epilepsia*, *apoplexia*, *delirium*, *imbecillitas*, et cetera demonstrant, quae mala saepe varia pathemata consequuntur.

Ex quibus omnibus patet quam difficile no dicam impossibile sit sedem, et originem uniuscujusque passionis determinare, et cum ipsa ad omne nervosum systema se extendat, supervacaneum est illos effectus tum in uno, tum in altero nervoso centro ponere, et originem in uno, impressionem in alio statuere. Quapropter passiones omnia tria vitae centra afficere merito dicemus. At in passionibus adamussim tria nervosa centra sive affecta, sive ad actiones impulsa eodem tempore videntur. Physicus amor animalia ad speciem propagandam compellens, organicam vitam in primis excitat, sed omnibus patet, quomodo animalis vita sive intellectualis consentiat, ita ut in brutis ipsis espiciamus physicum amorem facultates cerebri percellere.

Ex quibus omnibus statuere possumus, cerebrum in animantibus perfectioribus, atque majora ganglia in iis, quae ad infimam classem pertinent, constanter affici variis in passionibus. Quomodo vero passiones in cerebro, vel in gangliari systemate excitatae ita se diffundant, ut omne systemata, ad quae ipsae pertinent, ad actionem uno fare temporis momento progrediantur, relatio atque vincula declarant, de quibus ob [illegible]omia docemur. Juxta claris: Bichat nervorum apparatus organicae vitae praepositus peculiare systema efformat a systemate cerebrali omnino disjunctum. Is apparatus a nervorum serie inter se per plurimos plexus gangliaque conjunctorum construitur, quae quidem illud a cerebro sejungunt:

tali modo auctor ille duplicem gangliorum constituit catenam ad spinae latera positam, circulumque ellipticum efficientem, qui a superiori cervicali ganglio superius, atque a coccygeo ganglio inferius finitur.

Anatomici evidenter nobis declarant, apparatum illum cum primariis nervosis centris communicare, nec non cum ipso cerebro per multiplices nervos, quos cum claris: Reil medios nervos vocare possemus, et qui ab eodem auctore tamquam catenae cujusdam fila considerantur. Et revera ganglium cervicale cum cerebralibus nervis, et praecipue cum quinto et sexto cerebri nervo, cumque cervicalibus superioribus immediate communicat.

Secundus ramus quinti paris non tam cum primo ganglio enunciato conjungitur, quam in facie cum ramo primo ac tertio ejusdem nervi, et cum faciali nervo anastomoses innumeras init.

Tria ganglia cervicalia cum omnibus cerebralibus nervis junguntur, nec non cum nono pare sive loquente, cum glosso-pharyngeo cujus quaedam fibrae cum illis primi cervicalis ganglii conjuncta in superiore colli parta *gangliformem nodum* Wrisbergi efficiunt, a quo innumerae fibrae externam carotidem ejusque propaginea complectuntur. Deinceps ab ipsis gangliis carvicalibus oriri videntur nervi seu plexus cardiaci, qui cum vago nervo tenuissima, et multiplicia retia componunt. Vagus ipse, et nervus colli descendens nervis phrenicis surculos impertiunt, at cum

recurrentibus nectuntur. Hinc nervi cordis, pulmonum, laryngis, pharyngis, linguae unum quodammodo plexum constituunt.

Communicationes omnium spinalium nervorum cum colli, pectoris, ventrisque gangliis notae omnibus sunt.

Cum phrenico nervo hepaticus plexus miscetur adeoque per hepar surculi perreptant ab ipsomet phrenico prodeuntes.

Coeliacus tandem plexus centrum nervorum repraesentat, cum quo et vagi, et oesophagei nervi rami coeunt.

Ex demonstratis consequitur, sensibilitatem esse proprietatem omnibus animantibus vita praeditis communem.

In animantibus duplex hujusmodi proprietatis species, non perceptiva scilicet, atque perceptiva.

Hoc ab unius nervi sive a pluribus centris nervosis pendet, atque ab eorum devolutione ducitur.

Sensibilitas perceptiva efficit, ut animal cum externis rebus, et cum se ipso communicet, sese ipsum de propriis necessitatibus moneat, et ad actiones compellat, quibus sibi ipsi possit opitulari.

Hoc ex duobus generalibus sensibus, gaudio scilicet, doloreque derivatur, qui earum actionum excitationes proximae sunt.

Ex hujuscemodi actionibus ad corporis conservationem, optimumque statum appetitus, desideriumve repetendum est; verum cum ultra

progrediantur, passionum pathematumque causae esse queunt.

Animantium tantum propriae passiones sunt, quibus plantae omnino carent, idcoque a perceptiva praecipue sensibilitate pendent. Quamobrem et animalium vitam in primis, et vegetabilis vitae organa afficiunt, ideoque organicas inter et animales actiones aditum constituunt.

Tali modo cum amplissima passionum origo sit, eoque magis, quo major facultatum numerus, consequitur, ut in homine praesertim raro una sine alterius commixtione considerari possit. Iisdem ex causis eadem oritur difficultas, cum passionum effectus distinguere conemur. Verum sicuti a praesentibus causis, sive a praeteritis, sive a futuris pendent, idcirco tres earum classes constituimus.

1.° Res praesentes, quae animum gaudio, vel dolore afficiunt, eum violenter quoque commovent, et praesertim cum gaudium, et dolor repens sit. Ex quo admiratio, et stupor, terror, ira derivatur.

2.° Re sublata, sola memoria impressionum, quas antea animus perceperit, eum percellit, brevi, diuve, juxta diversam rei indolem, diversumque animi statum: quapropter prima illa passio excitatur, et diutius extat, atque hinc animus ipse aut ad hilaritatem, aut ad maerorem impellitur.

3.° Tandem cum futura praevidemus, et gaudia doloresve imminentes sentimus, spes vel timor locum habet, vel desperatio oritur, si ma-

ximum dolorem, nulloque modo reparandum fore prospiciamus. Hos quidem affectus imaginatio praesertim, et phantasia auctiores reddunt.

Nonnulli passiones in proximas, symptomaticas, et sympathicas distinxere; quae proximae sunt, cum priori classe multis characteribus comparantur. Symptomaticae fiunt, cum animus noster longe etiam a re distincta, et existente, sed a physicis causis commotus in eundem statum ducitur, ad quem eum internae, externaeque res existentes ducerent. Sic ex. gr. quidam sermo ad iram excitat, odor voluptatis sensu animum replet; non secus ac si symphonia cum ad mollitiem, tum ad impetum, tum ad virtutem animi, tum ad iram nos compellat. Sympathicae denique passiones faciunt, ut aliorum conditione permoveamur, quemadmodum pietas ob aliorum infortunia nos dolore afficit; ira iram parit; minae timorem injiciunt; indignatio, abjectio contemptum efficit etc.

Alter passionum ordo a varia rerum cum nobismetipsis relatione dimanat: hujusmodi affectus aut passiones in subjectivas, et objectivas distinctae fuere. Ad priores pertinet superbia, nimia scilicet suipsius existimatio, ambitio, sive immoderata laudis, honoris, gloriaeque cupiditas, pudor a laesa suimetipsius existimatione ortus etc. Ad subjectivas vero passiones refertur audacia ab evidentis periculi despicatione derivata, impudentia, quae animum ad actiones intellectui corporisve viribus superiores excitat etc.

Ad passiones sive effectus objectivos invidia pertinet, quae ab aliorum felicitatis molesta sensatione derivatur, zelotypia, quae in timore alicujus rei speratae, et amittendae consistit; odium, contemptus etc. quae omnia a nostris relationibus cum aliis hominibus oriuntur, nostrae felicitati adversa, seu sic judicata, sicut opposita causa amorem, amicitiam, venerationem etc. producit.

Nec passionum divisio est omittenda, in animales scilicet, et sociales. In homine enim passiones aliquae sunt ceteris animantibus communes. Animales sunt passiones, quae ad corporis tutamen pertinent, uti pavor, ira, maeror, odium etc. et ad speciei conservationem, ut venerea desideria, violentiora facta; zelotypia, sobolis amor, violentus furor, cum nati in periculis versentur etc.

Ad sociales passiones spectant ambitio, avaritia, ultio, atque idem venereae cupiditatis incrementum.

Ab effectibus denique in duas classes passiones distingui possunt, idest in *gratas* sive oblectantes, in *ingratas* sive dolore afficientes, prout eas vel oblectamen, vel dolor comitatur, ac in *deprimentes*, quae vires, et vitae energiam tollant, vel deprimant. Passiones *excitantes* a philosophis appellantur illae, quae voluntatem vehementer excitant, eamque ad vehementiora consilia impellunt, quae animam extollunt, activamque, et potentem efficiunt. A philosophis, pathologisque

vero excitantes passiones praesertim nuncupantur quae actiones organicas aptiores reddunt, gaudium scilicet, virtus animi, spes, amor, etc., et deprimentes eae quae vitae motum opprimunt, sicuti timor, maeror, odium etc.

Hujusmodi divisiones passionum aliquam philosopho, summam medico utilitatem praebent, qui passiones ipsas veluti totidem morborum causas considerat, ideoque ipsarum est perpendenda cognoscendaque origo, gradus, agendi modus etc. ut de effectu pathematis uniuscujusque medicus certior sit, et tum ad physica, cum ad psychica remedia confugiat ad cundem effectum superandum. Quapropter medico philosopho utile admodum erit agnoscere, si quaedam passio aegrum torquens, et a qua morbus duxerit ortum, a praesente, vel praeterita, vel futura causa pendeat ex eo nimirum quia cum praesens sit violentius agat, mitius vero si praeterita, adeoque diversam fortasse curae methodum exposcat. Ita ex. gr. ab odio, aut a zelotypia facilius exardescit, cum passionibus illis recentibus excruciamur, quam si eas tempore compescuimus.

Idem de passionibus illis dici potest, quae ad nos propius spectant, et hypochondriam exsuscitant, organa quaedam lente profecto, at tamen afficiunt, curaeque potius physicae, quam morali cedunt, ut exempli causa mania ab eviratione, et similia. Socialis contra passio quaelibet, et subjectiva psychicae liberius curae cedit, quod ea sit origo, ut intellectualem praecipue sensibi-

litatem turbet. Hoc vel maxime mercator ille testatur, cui cum omnes suas facultates perdidisse nunciatum fuerit, adeoque se miserrimum deploraret, in mortalem incidit stuporem. Medicus Bouvart ad auxilium evocatus hac scripta medela abiit. » Recipe a meo notario triginta millia nummorum » et illico remedium mercatorem in salutem restituit. Celeberrima etiam est historia in qua clar. Louis narrat, Chirurgum *Chevalier* qui ludo delectabatur quem *picchetto* appellamus, Letargia correptum fuisse, cum audisset *cinq*, *quatorze*, et *le point*.

Passionum effectus.

Cum passionum effectum in animali machina considerare velimus, eas ita in nos agere videbimus, ut si recta ratione procedant, utiles nobis immo necessarias esse fateamur oportet; si vero immoderatae sint, causae morborum evadant, ideoque omnibus viribus compescendae. Exquisita homo sensibilitate donatus, rationisque particeps nequit se aut in artibus exercere, neque studiis incumbere, neque amore percelli, neque de virtute disserere, quin argumenta istiusmodi animum illius plus minus agitent, atque commoveant. Et quia turpes quoque res immo facinora ipsa illum alliceren (et revera alliciunt non semel), hinc ratio, et religio hominis sensibilitatem moderantur, ne in violentos irregularesque motus irrumpat. Quemadmodum vero

ratio in pueris devoluta non est, et physica tantum sensibilitate gaudent, hinc fere a naturae legibus statutum fuit sensibiles pueros nulla passione excruciari; quod si adultus homo contra animi sui perturbationes rite ita comprimat, ut perturbationibus ipsis ratio praestet, tunc virtute illum praeditum esse judicamus. Negari tamen heu nimis! nequit rationem aliquoties a passionis alicujus vi superari, et tunc praeternaturales effectus magis minusve violenti, magis minusve noxii exoriuntur. Et hoc praecipue locum habet, cum inferiora nervorum systemata prae aliis dominantur, et animae facultates quodammodo suffocant, ita ut in quorundam organorum morbis saepissime observemus, sensuum et idearum ordinem perturbari atque omnino inverti.

Duas ideo in nobis voluntates adesse Auctor quidam enunciavit; quarum prior ab aeterna recta ratione progenita quidquid pulchri, boni, et aequi est, in se continet, atque nos ad actiones cum generali rerum ordine congruentes impellit; altera vero legi subjecta est, qua unumquodque corpus conservatur, et motus gignit organorum dominio obnoxios, et gaudii dolorisque impulsus moderatur; quamobrem perfectio in duarum hujusmodi voluntatum concordantia consistet. Haec tamen voluntatum differentia adhuc inter hypotheticas fabellas est amandanda. Ex quibus tamen omnibus facile intelligere licet, variam indolem, aetatem, valetudinis morbique statum, clima, atque vivendi modum non modo nos

ad varias passiones impellere, verum etiam earum diversis effectibus modificandis prodesse.

Neque clima solummodo, sed educatio passionibus nos magis minusve obnoxios reddit; quo enim naturae minus obsecundamus, eo nos a caeco aliquo impulsu cavemus. Omnia scilicet quae nos circumdant, actionem in nostris sensuum organis exercent: effectus actionis illius *impressio* vocatur a physiologis: ab ea impressione mutatio in nobis locum habet. Prout vero mutatio illa levis aut rudior est, et prout organum unum vel alterum afficit, gaudium in primis, vel dolorem, deinde passionem producit; quamobrem cum passiones quae ad medicum spectant, diligentius scrutari velimus, primo eas in oblectantibus, gratisve, secundo in dolore afficientibus, ingratisve numerabimus.

Gratae passiones cum nimia violentia minime agant, neque per hanc vitales minuant vires, vitae energiam excitant, atque extollunt, frequentioribus citioribusque motibus, omniumque virium incremento favent. Ideoque celeritas cordis, arteriarum et pulsus vis augetur, liberior frequentiorque fit respiratio, calor et turgor vitalis extollitur, perspiratio cutis una cum omnibus secretionibus promovetur. Animus hilaris redditur, vox, loquela, gestus, physionomia laetitiam ostendunt. Passiones contra ingratae, vitae deprimunt energiam, phaenomena enunciatis omnino contraria insurgunt, ideoque animae, et corporis actiones adeo sensibiliter minuuntur, ut

earum pars aliquando proprio munere desistat. Passiones illae saepe virium elationem pariunt, ita ut elatio quoque in voluntate oriatur, quae contra dolorem, et causam ex qua pendet, agere conatur. Quare utilius est pathemata in excitantia, et deprimentia distinguere, praesertim si pathologorum more rem expendere velimus. Exempla breviter addam nonnullorum pathematum quae praecipue suos in nobis exerunt effectus.

De Amore.

Generatim dicere possumus, amorem consistere in quadam sympathiae specie, propensione, sive nostrum attractione ad rem quamlibet, a qua nostram felicitatem speramus. Et pro rei quam optamus varietate, omnes amoris species derivantur. Sic suimet amor, scientiarum, patriae, divitiarum alterius sexus etc. totidem diversas constituunt passiones, quatenus ab una causa effectus progignuntur, qui summopere differunt inter se. Sic suimet amor ambitionem parit, pecuniae avaritiam, sexus sequioris libidinem. Hujusmodi effectus morbosi crebrius in alterius sexus amore observantur, qui ideo morbi frequentior causa fit, si quidem nimio in hoc pathema impetu irruit homo. Dum proprio sperat desiderio satisfacere, totus in illo est, mora conficitur, spiritus languet, corpus marcescit, et hinc urens calor devolvitur, frequentior fortiorque fit pulsus, celerior respiratio, violentiores apparent corpo-

ris motus, proprias cerebrum actiones, et imaginationem praecipue extollit, ex elata circulatione frequentes *epistaxes* enascuntur, et febris in scenam prodit, quae *febris erotica* vocatur. Ab elata muscularis systematis vitalitate *spasmus*, et *catalepsis* ortum habet, plures corporis partes spasmo confectas aspicimus: hinc peculiaris oculorum depressio, oris ac physionomiae mutatio, anorexia, suspiria, inquietus somnus, pervigilium, variaeque delirii species, pollutiones involuntariae, nymphomania. Delusus et occultus amor acriores reddit effectus, quippe qui maestitiae effectibus consociantur. Ideoque ab impedito amore universalis languor, perfectaque anorexia, amentia, generalisque macror, qui aegros ad interitum usque comitatur. Hujusmodi effectus frequentiores sunt in mulieribus utpote majori sensibilitate donatis, in quibus hanc ob causam *chlorosis*, *hysterismus*, *menstruorum mora*, et *defectus*, *maestitia*, *misantropia* locum habent, quaeque sublata causa abeunt. Celebris est historia de Erasistrato qui Antiochum Soterum Seleuci filium morbo detentum in pristinam restituit salutem, postquam detexit novercae eum amore flagrare. Quam sagacitatem se quoque habuisse gloriatur Galenus, cum aegrotantis feminae morbum a mimi cujusdam amore foveri deprehendit. Avicenna delusi amoris effectus describit, et morbum ad melancholiam spectare opinatur.

Ad hanc causam ipsam phaenomena pertinent *Nostalgias*, morbi videlicet, quo saepe plures af-

*

fiuntur populi, ac Helvetii in primis, Groelandiae, et Burgundiae habitatores etc. Hujusmodi phaenomenorum causa in majori, minorive consistit molestia, qua conficiuntur, cum a patria, amicis, parentibusque suis absint, quapropter varia melancholiae symptomata aeger praesefert. A silentio, languore, et misantropia morbus initium ducit, deinde appetitus minuitur, paulatim nutritio deficit, membra tremoribus concutiuntur, ac aegrotans convulsiones inter, et delirium consumptus perit. Non raro fit, ut *Nostalgia* admodum brevi vitam abripiat. Celeberrimus siquidem Hallerus plures ae milites eadem die defunctos se vidisse affirmat, qua dimissio ipsis fuit denegata. Hujusmodi morbum ex nativi aeris levitate, graviorisque aeris intolerantia proficisci aliqui putant; verum laudatus Hallerus animadvertit, Groelandiae incolas in longe graviore aere vaporibus, nebulisque repleto vitam agere, et in Daniam transductos morbo vehementer adeo laborare, ut propriae discrimen vitae pro nihilo habentes immensum aequor quo a patria nebulosa pariter, humidaque disjunguntur, exigua navicula trajiciant. Helveticorum nostalgiam a politica potius patriae constitutione derivare clarissimus idem Auctor sibi suadet, et ab illustri Zimmermanno historia narratur de mirabili effectu, qui ab improvisa patriae revisandae spe expectari quandoque potest. Helvetius quidam adolescens in Gottingensi Academia medicinae studio incumbens nostalgia captus fuit, et quia ventralis aortae

suae rupturam imminere pertimescebat, domum et cellam numquam relinquere audebat. Verum eodem die quo domum vocatus a patre fuit, totam urbem percurrere potuit, ut discessurus *vale* diceret amicis.

De Laetitia.

Laetitia ex optatae rei possessu oritur. Maxime excitantem constituit passionem, quae dum moderata sit, valetudini prodest, et in debilitate remedium esse potest. Hoc enim pathema in cerebro praecipue agit, proprios effectus ad nervos, atque ad cor imprimis diffundit: quamobrem cordis et cerebri extolluntur officia, sicuti in ebrietate sanguinis circulatio videlicet citior fit, augescit calor, intellectuales efferuntur vires, hilaris physionomia ac viva optimum animi statum declarat. Sed immoderata laetitia morborum saepe causa fit, et sicut in cerebrum agit, ita ex laetitia dementia quaedam derivatur, quae clamoribus immoderatoque risu singultibus commixto, insolitisque motibus sociatur. Dum hujusmodi effectus longius perdurant, verum morbi processum in cerebro declarant. Vir quidam nobili genere natus, at parvo censu donatus, magnaa opes ex hereditate derepente adeptus demens factus est, cum sibi ipsi credere nollet se tanta nummorum copia abundare.

Improvisae laetitiae letales effectus memorant medici, et historici. Graeca narrat historia Po-

licratem, Chilonem, Sophoclem, Diagoram, Philippidem laetitiae excessu derepente occubuisse. Idem Romana affirmat historia de Manio-Iuventio-Talna, qui ab improvisa laetitia vita fuit orbatus, concessi causa triumphi, cum Corsicam ipse adeptus esset. Duae mulieres quae natos suos in Trasimeni proelio vulneribus interfectos defleverant, ob improvisum eorum reditum jam desperatum peremptae sunt. Idem testatur Galli de quadam muliere, quam conjugis adspectus vita ob laetitiae excessum abripuit, quia de illius internecione fama jam percrebuerat.

De Ira.

Iram Ennius vocavit initium insaniae, ex qua definitione luculenter apparet, quaenam sit ejus vis, et quinam effectus metuendi. Generatim oritur ira juxta Loch ex inquietudine quadam et perturbatione, qua excruciatur animus postquam molestia aliqua affectus fuerit cum ardenti ultionis desiderio conjuncta. Nervosum, et sanguineum systema violenter agitat ira, unde pulsus frequentia, respirationis celeritas, sitis, calor, inflatio, faciei rubor, omnium arteriarum in capite praesertim vehemens pulsatio, oculorum splendor, vocis interruptio, celeris sermo, urinae difficultas, externarum partium tremor, denique quaedam in obeundis officiis praecipitatio phaenomena sunt hujusmodi comitantia pathemata. Eorum phaenomenorum copia vi respondet pathematis, ex qua

universum systema nervorum excutitur, et inter viscera hepar quam maxime laborat. Hinc febris, icterus, hepatis obstructiones, haemorrhagiae, diarrhoea, calcula biliaria etc. neque exempla desunt quorundam, qui in irae accessu auditu, visu, loquela derepente destituti fuerunt.

Irae vero effectus infestiores quoque fiunt, cum illius explosio impediatur, ac reprimatur. Tunc quasi letiferum telum deliquia, apoplexiam, mortem parit. Eventum narrare mihi liceat, cujus testes appellare quamplurimos possem. Civis quidam Mantuanus filium suum a familia amoverat utpote nimirum quia nec moribus, nec vivendi methodo paternis curis respondebat. Nullus autem huic erat impensis modus, et cum angusta ipsi esset res familiaris, patrem adira voluit, qui tunc Patavii degebat, ut ab eo pecuniam extorqueret. Pater autem inspecto filio humi procubuit iratus, et mensae oblectamenta cum morte commutavit.

Spes inter excitantia pathemata adnumeratur. *Expectatio boni* definitur a Tullio, qui miserum esse scripsit nec habera ne spei quidem extremum. Angitur qui sperat, et pathemate anima laborat, praesertim cum futurum bonum majus sibi repraesentat. Hinc anxietas, virium augmentum, spiritus elatio. Spes autem neque morbus est, neque per se morborum causa; tamen si fallax sit, desperationi ansam praebet, quae a laudato Tullio aegritudo vocatur sine ulla rerum expectatione meliorum.

Deprimentia Pathemata.

Inter pathemata nonnulla sunt, quae animum frangunt, et deprimunt vires, ideoque morborum causae considerandae sunt; odium, puta, invidia, metus, terror, maestitia, et alia hujusmodi. Odium saluti adversa passio est, praesertim si pertinax sit, unde inveteratam iram philosophi nuncuparunt. Complurea ab odio tristas effectus originem habent.

Mens assidue in odii causas incumbit, unde cerebralis actio omnis in eo est, ita ut partes reliquae cerebrali ut sic dicam influxu videantur destitutae. Somnus hinc frequenter intermissus ac perturbatus, cibi inappetentia, pectoris infirmitas, membrorum languor, cachexia universalis, lenta, consumptiva febris, ab hecticis fabribus nervosisque minime differens.

Invidia quoque ad has pertinet passiones. In quadam consistit maestitia, quae in aliorum felicitate nos afficit. Hujusmodi passio adeo violenta esse potest, ut melancholicum delirium, et praesertim atrophiam, assiduas cogitationes, pervigilium, appetitus prostrationem, universum languorem una cum lenta consumptiva febri pariat: en cur vates invidiam pingant a serpente parstrictam, quae illi sinum rodit. Idem de Zelotypia dici potest eoadem producente effectus.

Timor, atque terror morborum causae saepe fiunt. Duo haec pathemata vel causa differunt,

vel celeritate qua agunt, vel effectu qui magis, minusve violentus est. Multum timor periculi delicatis feminis, convalescentibus, aegrotantibusque injicit. Cordis ipse vires minuit, universas corporis vires infrangit, sphincteres solvit, nervos opprimit; quamobrem toto in corpore tremores, amaurosis, loquelae amissio, paralysis etc. consequuntur.

Hujusmodi pathematis in pueris praesertim funestos quotidie videmus effectus, qui assidue ob imprudentiam parentum inutilibus, nocuisque agitantur timoribus; ipsi tunc inquieti fiunt, ad somnum difficiles, terribilibus somniis excruciantur, pallentes, debiles, cacbetici, atrophici evadunt: eclampsiae, paralysi obnoxii sunt, cutis herpete aut impetigine foedantur, et miserrimam inde vitam ducere coguntur. Terror autem improvisus ex damni cujusdam inopinati sensu profluit; ab eo cordis frequentes pulsationes, deliquia, artuum paralysis, quin mora ipsa consequi potest. Cum illico mors non ingruat, terror epilepsiam saepe ut Boerhaawe, ac Tissot animadvertunt, inducit.

Timor, et terror eo magis medici studium postulant, quo plures comitantur morbos, symptomata graviora reddunt, et nova exsuscitant quae morbos augent. Praeterea non una vice observatum fuit epidemias, et contagia pavidos violentius aggredi, ut narrat Rivinus, Falconet, et Zimmermannus. Pudor quoque timoris species est, quae eosdem effectus parit. Ipse sanguinem in vasis cutaneis externis retinet, cordis minuens mo-

tus, quamobrem rubra fit facies, et pectus. Hoc accidit in mulieribus maxime, quae hujusmodi pathemati prae ceteris subjiciuntur, pudor menstrua non semel impedit, ideoque multiplices morbos producere potest.

Maestitia tandem in dolore consistens, quo conficimur mali causa, quod nos excruciat, plures, diversosque effectus gignere potest, prout celeriter sive lente agat. Etsi clarissimus Zimmermannus improvisae laetitiae potius quam maestitiae causa nos morte affici affirmet, attamen historiae non desunt gravissimarum affectionum, quae ab hoc pathemate originem habuere. Insignis Petrus Frank funebrem audiens sonitum uxoris suae mortem denunciantem in eam procidit syncopem, ut ex ipsa difficillime restitui potuerit. Homerus tristitia obisse fertur, quod aenigma a piscatoribus propositum solvere nequisset; Horatius paulo post Maecenatis mortem vita est functus. Lenta vero maestitia non minus deprimentes parit effectus, qui cum ad enunciatos referri possint, brevitatis causa omittuntur. Ex quibus omnibus concludere fas est medico philosopho nunquam animi affectiones negligendas esse, quibus homo vel in statu sano vel aegrotans laborare potest: et plurimi contra faciendae sunt, nam si aliquoties morborum causae dici nequeunt, morbos tamen exasperant et graviores reddunt. Verum est passiones saluti nocuas fieri posse, non ideo vero omnino illas destruendas esse, quod homini impossibile foret. Quin immo quandoque bonorum

effectuum sunt causae. Omnibus notum est, Romanaa legiones etiamsi fame vulneribusque confectas in victoria tamen vires, salutem atque abundantiam reperisse. Eadem ratione a Wirei citatus senex podagra laborans cum veterem revisit amicum, insensibilis doloribus fuit, ac nobilis mulier a dira febri jamdiu excruciata in pristinam venit salutem filio redeunte, ut Matey testatur. Praeterea humanarum passionum studium medico prodesse potest, cum illi demonstret dispositiones ad morbos, quibus homo subiici potest. Omnes sciunt frequentes irae accessus hypochondriacorum viscerum incolumitatem significare, et frequentem timorem cordis morbi indicium esse posse. Ideo passiones per idoneam sensibilitatis a qua ipsae derivantur, administrationem in aegrotis modificari, primus erit medici finis, et ii quibus firma salus cordi est, id unum praecipue curare debent, ut sit *mens sana in corpore sano.*



THESES

I.

Hydrophobia gestantium, fetui propagari potest.

II.

In infantum morbis semper curari debent laetantes mulieres.

III.

Superfetatio in aliquibus circumstantiis plane est admittenda.

IV.

Cutis abnormitates, vel excrescentiae peculiaribus dispositionibus vel in utero, vel in fetu, non cupiditatibus gravidarum tribuendae sunt.

V.

Mydriasis, pruritus narium, et puncticulatio linguae non est signum pathognomonicum Helminthiasis.

VI.

Irritatio ab inflammatione separari debet.

506